

Erratum: The first printing of *Poems* by Venantius Fortunatus, edited and translated by Michael Roberts (Harvard University Press, 2017) omitted line 3.9.49, “irrecitabiliter manans de corde parentis,” from the Latin text. It should have appeared as the first line at the head of p. 158.

POEMS

irrecitabiliter manans de corde parentis,
50 verbum subsistens et penetrare potens,
aequalis, concors, socius, cum patre coevus,
quo sumpsit mundus principe principium,
aethera suspendis, sola congeris, aequora fundis,
quaeque locis habitant quo moderante vigent,
55 qui genus humanum cernens mersisse profundo,
ut hominem eriperes es quoque factus homo;
nec voluisti etenim tantum te corpore nasci,
sed caro quae nasci pertulit atque mori.
Funeris exequias pateris vitae auctor et orbis;
60 intras mortis iter dando salutis opem.
Tristia cesserunt infernae vincula legis
expavitque chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebrae Christi fulgore fugatae
et tetrae noctis pallia crassa cadunt.
65 Pollicitam sed redde fidem, precor, alma potestas;
tertia lux rediit, surge, sepulte meus.
Non decet ut humili tumulo tua membra tegantur
neu pretium mundi vilia saxa premant.
Indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo,
70 ut tegat inclusum rupe vetante lapis.
Lintea tolle, precor, sudaria linque sepulchro;
tu satis es nobis et sine te nihil est.
Solve catenatas inferni carceris umbras
et revoca sursum quidquid ad ima ruit.
75 Redde tuam faciem videant ut saecula lumen;
redde diem, qui nos te moriente fugit.
Sed plane implesti remeans, pie victor, ad orbem.
Tartara pressa iacent nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter cava guttura pandens,
80 qui rapuit semper, fit tua praeda, Deus: